



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

De ascensione asini & cameli. tit. 270

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

percipit corde, sed faxit Deus vt citò transeat tempus & redeat Ecclesia ex deserto.

Tertiò, tales angustias permittet Deus, vt probentur fideles ab infidelibus, 1. Corinthior. vndecimo. Vult enim Deus paleam separare à tritico, Matth. 3. Nam nostram sapientiam potius iactamus ad mundi honorem, quam Dei laudem. Sic de potentia & sublimitate gloriamur secundum carnem. Quanta sit auaritia, vsura, dolus, in rebus temporalibus acquirendis, nemo non videt. Ideò Deus tales scopas & vitigas super nos permittit, vt ad pœnitentiam redeamus, sicut dicit Gregorius in homilijs: Mala que nos hic premunt, ad Deum ire compellunt, & Dauid: Multiplicatæ sunt infirmitates eorū, postea accelerauerunt, Psal. 15. Hæc præcedent nouissimum diem, &c.

DE ASSCENSIONE ASINI & cameli.

TITVLVS CCLXX.

Efai. 21.

PRIMò, Propheta Esaias vidit in visione currum duorum animalium, vnum animal erat asinus, alterū, camelus, quod Angelus declarauit S. Methodio in carcere, scilicet, quod in nouissimo millennario, id est, nouissimis temporibus quando instabunt tempora periculosa iuxta Paulum, 1. Timoth. 4. vbi Ecclesia diuidetur per superbos homines, seipos amantes, superbos, inobedientes, proteruos, criminatores, voluptatum amatores potius quam Dei, habentes speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, 2. Timoth. 3. Hi quando schisma Ecclesie facient, vidit Methodius duos viros secantes Ecclesiam, &c. Tunc imperator & rex Romanorum fiet vector seu auriga, & primò ascēdet asinum, id est, mandabit literis, comitijs, & conuocationibus, libenter volens consulere paci & vnitati Ecclesie: sed quoniam

quoniam asinus tardus est, nihil efficiet cum illo animali. Asinus enim pigrum animal est & tardum. Sed hoc noc est imputandum tunc asino, id est, hæc pigritia & tarditas Imperatori, sed hoc consistit in Dei ordinatione & voluntate, ipse Deus vult purgare peccata nostra, & separare paleam à tritico. Ideò tardatur & suspenditur, quo minus subueniatur oppressæ Ecclesiæ per Imperatorem. Non igitur in tarditate hominis imperatoris est, sed in Dei manibus. Deus agit vt ordinaria potestas nihil possit in tantis furijis diabolorum Antichristi. Sic dixit Imperator Titus in destructione Hierosolymæ: tu Deus cæli facis hæc, non ego, vt dicit Iosephus. Vnde Achior dux filiorum Ammon dixit Holoferni: **DEVS** propter peccata recedit à populo Iudæorum, ideò quando sunt in peccatis, tunc vinces eos: sin autem, defendet eos Deus eorum, Iudith. 5. & quoniam nostris peccatis Deum non cessamus offendere, ideo permittit Deus potestatem inimicis nostris supra nos.

Secundò, vidit Propheta regem ascendere camelum, quia sicut camelus diu continet iram, diu ab alijs animalibus etiam læsus, tandem cum ingenti furore solet se vindicare, vt dicit Solinus. Sic dixit Esaias & Methodius, Fiet in nouissimis diebus, quòd rex ascendet, camelum, & vlciscetur in Christianos, & reddet omnia illata mala ipsis à Turcis, hæreticis, & sceticis, deuastabit Turciã, superabit omnes suos rebelles & Tyrannos, & regnum Romanum conterret alia regna & subiugabit. Et sic camelus, id est, rex, pro diu retenta ira, id est, pro inobedientia, contemptu & irrisione, quam multis annis pertulit à Turcis & hæreticis, ac tyrannis, cum suis, fidelibus, tandem grauiter vlciscetur, & hoc ante diem nouissimum, & tunc tradet Iesu Christo Hierosolymis coronam imperij, & Christus patri regnum, 1. Corinth. 15. sic erit finis, scilicet mundi.

P P p 5 Tertiò,

Tertiò, hæc non debent nos perturbare, sicut ad-
monet B. Petrus 1. Petr. 1. quòd ad modicum tem-
pus nunc contristabimur: reposita est enim nobis in-
corruptibilis corona, quæ breui manifestabitur no-
bis, idè ad patientiam nos armare debemus, ex quo
sic est diuina voluntas, qua hæc omnia fiunt: saltem
hoc interea faciamus, quod Christus docet, Mat. 24.
Orate ne fuga vestra fiat sabbatho vel hyeme, etsi di-
xerint, hic est Christus, aut illic est Christus, nolite
exire domum, id est, vnitatem catholicam, neque cre-
dere. Nolite, nolite credere.

LEO ET DRACO ECCLESIAE

quomodo est Sathanas.

TITVLVS CCLXXI.

Primò, inquit Augustinus in sermone
de vno martyre: Ecclesia pugnavit
prioribus temporibus aduersus leonem,
sed modò aduersus draconem. & quo-
modò Christi virtute victus est leo, sic
quoque vincetur & draco, eò quòd scriptum est Psal.
90. Conculcabis leonem & draconem Leo aperte in-
rascitur, draco & serpens occultè insidiantur, tunc se-
uigit leo, quando bibit sanguinem sanctorum marty-
rum initio Ecclesie, vbi tot millia pro Christo sunt
interempti. Hebræ. 11. lapidati sunt, secti sunt & car-
tebat omninò extirpare Christi fidem leo ille, id
est, sathanas, sed vicit cum patientia Martyrum, si-
cut Christus docuit, Lucae 21. Ante omnia iniicient
vobis manus suas, & persequentur. & infra: sed capil-
lus capitis vestri non peribit. In patientia vestra possi-
debitis animas vestras, id est, conseruabitis ad vitam
æternam, & sic patientia martyrum vicit leonem ru-
gientem.

Secundò, sathanas draco & serpens est Ecclesie
per occultam pugnam, qua exeat hæreses, per quas
insidia.